hinc videbitis. Et dicit ei. Amen amen dico vobis videbi
tis celum apertum et angelos dei ascendentes et descenden
tes supra filium hominis.
II Et die tercio nupcie facte sunt in chana galilee
et erat mater ihesu ibi. Vocatus est autem ihesus et discipuli
eius cum eo ad nuptias. Et deficiente vino. dicit mater
ihesu ad eum. vinum non habent. Et dicit ei ihesus. quid michi et tibi
est mulier? Nondum venit hora mea. dicit mater eius
ministris. Quodcumque dixerit vobis facite. Erant autem
ibi lapidee ydrie sex posite secundum purificationem iu
deorum capientes singule metretas binas vel ternas.
Dicit eis ihesus. Implete ydrias aqua. Et impleverunt
eas usque ad summum. Et dicit eis ihesus. haurite nunc et
ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit ar
chitriclinus aquam vinum factam. et nesciebat unde esset.
ministri autem sciebant qui hauserant aquam. vocat sponsum
architriclinus et dicit ei. Omnis homo primum bonum
vinum ponit. Et cum inebriati fuerint. tunc id quod deterius
est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc
fecit inicium signorum ihesus in chana galilee et ma
nifestavit gloriam suam. et crediderunt in eum discipuli eius.
Post hoc descendit capharnaum ipse et mater eius et fratres
eius et discipuli. et ibi manserunt non multis diebus. Prope
erat pascha iudeorum et ascendit ihesus ierosolimam. Et invenit
in templo vendentes oves et boves et columbas et nu
mularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de
funiculis. omnes eiecit de templo. Oves quoque et boves et
nummulariorum effudit es. et mensas subvertit. Et his
qui columbas vendebant dixit. Auferte ista hinc. et
nolite facere domum patris mei domum negociationis.
Recordati sunt discipuli eius quia scriptum est. Zelus domus
tue comedit me. Responderunt ergo iudei. et dixerunt ei.
Quod signum ostendis nobis quia hec facis? Respondit ihesus et
dixit eis. Solvite templum hoc. et in tribus diebus exci
tabo illud. Dixerunt ergo iudei. Quadraginta et sex an
nis edificatum est templum hoc. et tu in tribus diebus
excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis
sui. Cum ergo resurrexisset a mortuis recordati sunt
discipuli eius quia hoc dicebat. Et crediderunt scripture
et sermoni quem dixit ihesus. Cum autem esset ierosolimis
in pascha in die festo. multi crediderunt in nomine eius.
videntes signa eius que faciebat. Ipse autem non ihesus cre
debat semetipsum eis. eo quod ipse nosset omnes. et quia
opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine.
Ipse enim sciebat quid esset.
III Erat autem homo ex phariseis nichodemus nomine prin
ceps iudeorum. Hic venit ad ihesum nocte. Et dixit
ei. Rabi scimus quia a deo venisti magister. Nemo enim
potest hec signa facere que tu facis. nisi fuerit deus cum eo.
Respondit ihesus et dixit ei. Amen amen dico tibi nisi quis rena
tus fuerit denuo non potest videre regnum dei. Dicit
ad eum nichodemus. Quomodo potest homo nasci cum sit sen
ex? Numquid potest in ventrem matris sue iterato intro
ire et renasci? Respondit ihesus et dixit ei. Amen amen dico
tibi nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto non
potest introire in regnum dei. Quod natum est ex car
ne caro est. et quod natum est ex spiritu spiritus est. Non mi
reris quia dixi tibi oportet vos nasci denuo. Spiritus
ubi vult spirat. et vocem eius audis. sed nescis unde
veniat aut quo vadat. Sic est omnis qui natus est
ex spiritu. Respondit nichodemus et dixit ei. Quomodo pos
sunt hec fieri? Respondit ihesus et dixit ei. Tu es magister
in israel et hec ignoras? Amen amen dico tibi quia quod
scimus loquimur. et quod vidimus testamur et testimonium
nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis et non creditis.
quomodo si dixero vobis celestia credetis? Et nemo as
cendit in celum nisi qui de celo descendit. filius hominis
qui est in celo. Et sicut moyses exaltavit serpentem
in deserto. ita exaltari oportet filium hominis. ut omnis
qui credit in ipso non pereat. sed habeat vitam eternam.
Sic enim deus dilexit mundum. ut filium suum unigeni
tum daret. ut omnis qui credit in ipso non pereat sed
habeat vitam eternam. Non enim misit deus filium suum
in hunc mundum ut iudicet mundum. sed ut salvetur
mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur. Qui autem
non credit iam iudicatus est. quia non credit in nomine u
nigeniti filii dei. Hoc est autem iudicium quia lux ve
nit in hunc mundum. et dilexerunt homines tenebras ma
gis quam lucem. Erant autem eorum mala opera. Omnis enim
qui male agit odit lucem. et non venit ad lucem ut
non arguantur opera eius. Qui autem facit veritatem venit
ad lucem. ut manifestentur eius opera. quia in deo sunt facta.
Post hec venit ihesus et discipuli eius in iudeam terram.
et illic demorabatur cum eis et baptizabat. Erat autem et
iohannes baptizans in enon iuxta salim quia aque multe
erant illic. et veniebant et baptizabantur. Nondum enim
missus fuerat in carcerem iohannes. Facta est
autem questio ex discipulis iohannis cum iudeis de puri
ficatione. Et venerunt ad iohannem et dixerunt ei. Ra
bi qui erat tecum trans iordanen cui testimonium
perhibuisti. ecce hic baptizat. et omnes veniunt ad eum. Respondit
iohannes et dixit. Non potest homo accipere quicquam nisi fuerit
ei datum de celo. Ipsi vos michi testimonium perhibetis.
quod dixerim ego non sum christus. sed quia missus sum ante
illum. Qui habet sponsam sponsus est. amicus autem sponsi qui
stat et audit eum. gaudio gaudet propter vocem sponsi.
Hoc ergo gaudium meum impletum est. Illum oportet cres
cere. me autem minui. Qui desursum venit super
omnes est. qui est de terra. de terra est. et de terra loquitur. Qui
de celo venit super omnes est. et quod vidit et audivit hoc

327
81

STADT BIBLIOTHEK CHEMNITZ
http://digital.slub-dresden.de/ppn341421227/655